



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de dignitate studiorum Theologicorum, ac ministerio Ecclesiastico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

ORATIO D. DOCTORIS C. CRV
 cigeri de Dignitate studiorum Theologicorum,
 & ministerio Ecclesiastico, habita an-
 no M. D. XXXVII. in
 promotione M. Petri
 Paladij.



Imposuerunt mihi has para-
 tes hoc loco dicendi superi-
 ores nostri, quos cum sum-
 ma pietate, & reuerentia
 colere debeamus, non fuit
 mihi integrum eorum auto-
 ritatem detrectare. Peto igitur
 a uobis omnibus, ut me non ingenij fiducia,
 aut meo consilio, sumpsisse mihi hoc negocium,
 sed adductum officio, in hunc locum prodire exi-
 stimetis. Quare equum est, uos etiam orationem
 meam boni consulere, quam insati ad comonesfa-
 ciendos imperitos adolescentes, ut discant reuerē-
 ter sentire de studijs sacrarum literarum, & pro-
 fessione Theologica. Hæc oratio, hoc quidē tēpo-
 re, in tanta iudiciorum peruersitate, in tāta imma-
 nitate odij aduersus doctrinā ecclesiasticā, in pri-
 mis necessaria est. Etsi autem nō satis authoritatis
 ad tantam causam affert mea persona, Ta-

Reuerenter de
 sacris literis
 sentiendum.

MCX

men cum publico nomine habeatur oratio, et tantum sententiam recitaturus sum diuinae scripturae, et caussa tota ad Ecclesiae dignitatem, atque utilitatem pertineat, admonitio nostra non erit aspernanda. Ut igitur ueniam ad causam. Sicut Paulus inquit: Non pudet me Euangelij Christi, ita decet affectos esse omnes pios, ut et uerbum Dei toto pectore amant, et agnoscant esse summum omnium beneficiorum dei, et ministerium ipsum, hoc est, publicum munus docendi, magna pietate reuerentur, honore afficiant, iuuent iuxta uocationem, defendant, et ornent. Haec debet esse omni

Rom. i.

Iudicia mundi de Euangelio. ^{um} piorum praecipua cura: Sed ad hanc Pauli uocem conferamus mundi iudicia. Maxima pars hominum palam contemnit, et odit Euangelium: de inde ministerium, hoc est, munus docendi iudicat esse faciem seditionum, et dissipationis totius generis humani, et quidem Paulus ipse acerbiter odij in hominibus aduersus doctores Euangelij illustribus uerbis descripsit, cum ait, Apostolos haberi pro catharmatis et peripsomatis, hoc est, pro piaculis execrandis, quibus Deus implacabiliter irascatur, a quibus tota rerum natura abhorret, quorum umbra uelut contagio noceat uniuerse societati hominum.

Iam sol stupefactus sceleris magnitudine

Resistit,

Resistit, & currus pallens inhibet suos,
Lumenq; terris, terra fruges denegat,
Et in uetus natura Chaos confunditur.

Neq; enim fieri potest, quin horribilis acerbitas odij in istis existat, qui iudicant Euangelium esse aut blasphemiam, aut commentitiam fabulam, dissipantem imperia, leges, constitutas Respub. ordinationes, tranquillitatem generis humani. Cum his summis criminibus maxima pars mundi, oneret Euangelium, tamen Paulus ingenti animo aduersus hæc falsa iudicia clamitat: Non pudet me Euangelij, suaq; uoce nos confirmat, ut statuamus certò Euangelium uerum et efficax esse, et æternam Dei uoluntatem esse, ac munus docendi Euangelij sanctissimum Dei cultum esse, quem præcipuè requirit ab hominibus. Verùm tanta est infirmitas etiam in his, qui non sunt aperte Quid ab Euang. gelio detestentur & deos, aut defensores impiorum cultuum, ut tantum mundi iudicij moueamur, quò minus honorificè de ministerio uerbi, id est, de publico docendi munere sentiant, huc accedit, quod cum doctores Euangelij sint spreti, inuisi, et uersentur in assiduis periculis, multi etiam fame pereant, deterrentur homines metu periculorum & crucis, à ministerio Euangelij, & quoniam honores, & ampla

ampla premia proposita sunt, alias questuosas ar-
 tes exercentibus, ideo paucissimi se ad hoc studi-
 um sacrarum literarum, aut ministerium conse-
 runt. Multi etiam putant hoc genus doctrinae sine
 doctoribus percipi posse. Iacet igitur contem-
 ptus iste ordo ministrorum. Quamquam autem haec
 uulgo ita fiant, tamen pij adolescentes inculcare
 sibi hanc uocem Pauli debent: Non pudet me Eu-
 uangelij, & intelligere quanta dignitas sit hu-
 ius ministerij, seq; ad id preparare, ut possint Ec-
 clesiae cum opus sit seruire. Hic enim est summus
 Dei cultus, sicut Christus docet, cum ait, In hoc glo-
 rificatur pater meus, ut fructum multum fera-
 tis, & fiatis mei discipuli. Hic clare testatur ita
 glorificari patrem, si alios doceamus uerbum,
 quos ab ipso tanquam discipuli accepimus, &
 Propheta ait, quam speciosi pedes Euangelizan-
 tium pacem. Significat enim & Deo, & Ec-
 clesiae hos nuncios placere, etiamsi mundus eos
 odit, & ueluti portenta execratur. Hoc ipsum
 docendi munus uocat Paulus sacrificium, sicut
 & alibi scriptura saepe ita appellat. Quare scia-
 mus hunc cultum praecipue requiri a nobis, &
 sciamus Deo gratissimum munus esse. Hac conso-
 latione, boni & pij qui praesunt Ecclesijs, susten-
 tent sese aduersus iniqua iudicia, et sciant se Deo
 praei-

Munus docen-
 di sacrificium.

præcipuum et sanctissimum cultum officio docen-
 di prestare. Inuitent etiam hæc præconia plures,
 ut se ad hæc præconia preparent, ac sciant se
 quoque discenda hæc doctrina, sacrificium Deo
 gratissimum offerre. Sed dicat aliquis, quid
 hæc Oratio de ministerio ad scholas, & ad hos Ministerium es
scholæ.
 gradus in scholis attinet? Ego uerò ideo de
 ministerio dixi, ut, quo consilio tradantur sacræ
 literæ, ad quem finem hi gradus constituti sint, cõ-
 sideretis. Nam hæc studia in scholis ad conserua-
 tionem ministerij Ecclesiastici propriè pertinent. Scholæ Alexan-
driæ.
 Hoc consilio et olim Alexandriæ, & in plurimis
 Collegijs scholæ instituta fuerunt, ut inde sume-
 rentur doctores, & pastores Ecclesiarum. Chri-
 stus enim dat Ecclesiæ pastores, Prophetas & do-
 ctores, uultq; ab his ecclesiam institui ac doceri,
 uultq; preparari illos, qui præficiendi sunt Ec-
 clesijs, nec uult præfici eis prorsus indoctos, aut
 homines imperitos, qui sibi uidentur ἀνοσιδαι-
 κτοι, et sine ullo usu spiritali ex sese fingunt opi-
 niones. Fuerunt igitur initio in Ecclesijs scholæ,
 quæ utinam conseruassent doctrinam puram
 ab Apostolis traditam. Sed hæc postquam in-
 genti & admirabili beneficio Dei renouata est,
 & Deus his postremis Temporibus iterum de-
 dit Prophetam, ut alij erudiantur, profecto
 rursus

Quos Patres
allegant.

D. Gregorius.

rursus curare debent ecclesiæ, ut illud beneficium Dei, uidelicet doctrinam Euangelij puram, summo studio conseruent, et ad posteros transmittant. Plurimum itaque refert iterum, quos habeamus præceptores, quorum audiamus iudicia de rebus maximis, & de dogmatibus. Sicut sancti Patres sepe allegant partim Apostolos, partim proximos Apostolorum ætati. Irenæus enim citat Polycarpum, qui fuerat auditor Apostoli Ioannis, & Florino Valentinus opponit autoritatem Polycarpi. Basilius audiuit Neocæsariensem, cuius præcipua fuit autoritas, cum Pauli Samosatensi impietas damnaretur. Nec aliud uetustius testimonium extat, post Apostolorum scripta de Trinitate, quàm huius Gregorij. Tantum autem tribuit Basilius, ut dicat sibi adhuc personare aures uoce Gregorij, eiusq; testimoniū opponit Sabellianis perturbantibus Ecclesiam Neocæsariensem. Hieronymus audiuit Epiphanium et Nazianzenum, omitto alios multos. Tantum autem hos commemorauit, ut cogitent auditores, singulare Dei beneficium esse, audire doctrinam Euangelij, à talibus doctoribus, quorum sequi iudicia tute possimus. Pertinent igitur Scholæ ad ministerium Euangelij in Ecclesijs, & ob eam causam doctrine testimonia bonis, & doctis uiris tribu-

tribuuntur, ut constet quales doctores audierint,
 ut certa autoritate doctrina ad posteros propa-
 getur. Hæc fuit in Ecclesia uetustissima consuetu-
 do, postea sine testimonijs doctentium, admissi sunt
 ad gubernandas Ecclesias homines ineruditi, &
 ut Nazianzenus ait, subito facti Doctores, sicut in Theologi indo-
 fabulis subito nati dicuntur Gygantes. Hinc orta cti Gygantes.
 est magna doctrinae confusio. Postquam igitur
 Deus sua immensa misericordia, nobis restituit
 Euangelij lucem, agamus Deo gratias, & id be-
 neficium, summo studio in Ecclesijs et scholis con-
 seruemus et curemus, ut hi qui ad ministeria Ec-
 clesiastica accessuri sunt, fideliter instituantur,
 nec recipiantur uel indocti, uel αυτοδιδάκτοι.
 Videmus enim nostra etate fanaticas opiniones
 Anabaptistarum, tantum ab indoctis, aut αυτοδι-
δάκτοις ortas esse. Quantum igitur nos debemus
 Deo, qui nobis gubernatorem, & doctorem fide,
 & recto iudicio præstantem dedit, cuius doctrina
 aduersus illas fanaticas opiniones præmuniti
 fuimus, quorum autores sæpe tentarunt Ecclesias
 nostras, sed cum in Ecclesijs nostris præessent
 instituti in hac schola, & qui libenter agnoscunt
 se non esse αυτοδιδάκτους, sed auditores, periti
 gubernatores prudenter insituerunt suas Eccle-
 sias, easq; diuina ope adiuti, qui piæ doctrinae fa-
 E uet,

Scholæ præci-
pua pars mini-
steri.

uet, in officio retinuerunt. Pertinent igitur scholæ ad ministerium Euangelij, et uel præcipua pars sunt illius sanctissimi muneris: necesse est enim prius diu et diligenter institui eos, quibus gubernatio Ecclesiarum committenda est. Deinde gradus est testimonium, ut constet à quibus doctoribus acceperint doctrinam. Hoc ut Apostolorum tempore, ita nunc quoque plurimum habet momenti. Cum enim magna sint dissensiones, de doctrina, cum magna certamina extiterint de religione, necessaria cura est uidere, quorum sequantur auctoritatem. Ioannes inquit, si quis uenit ad uos, et hanc doctrinam non adfert, non recipiatis eum. Ad eundem modum et alibi sæpe præcipit scriptura. Quare genus doctrinæ diligenter considerandum est, uidendum ex quibus fontibus haustum sit: Magnum igitur onus sustinent doctores in Scholis. Hoc scire oportet, à quibus auctoribus acceperint doctrinam, et retinere puritatem, ac cauere, ne admisceantur nouæ et præuæ opiniones. Sicut in Ecclesia Antiochena, cum Paulus Samosatenus suum uenenum spargere cœpisset, intelligens Malchion, qui erat unus ex doctoribus, nouum ab eo dogma seri, et corrumpi ueterem puritatem, primus clamauit, et uicinis Episcopis, Alexandrino et Hierosolymitano signifi-

Onus doctorū
in scholis.

Malchion pro-
dit Samosateni
delirium,

gnificauit quantum esset periculi. Ita Malchionis fide & diligentia confutatum & extirpatum est Samosatani delirium. Quare ministerium Euangelij, & in scholis, & in Ecclesijs pari cura retinendum, & defendendum est. Pij Principes non solum scholas constituere debent, sed etiam eligere genus doctrinae, ceu seminarium acceptum certa et firma autoritate, et curare ne illud seminarium corrumpatur. Hec in scholis cura necessaria est, ut posteritas sciat, culus notae doctrinam acceperit. Hanc in Principibus & in Ecclesia diligentiam requirit Deus, ad haec praecipit, ut omnes pro sua uocatione ornent, et adiuuent hoc ministerium. Ac praecipue uos, qui in studijs uersamini, cogitate uos non tantum priuata uocatione uestrorum superiorum, sed publica uniuersae Ecclesiae uocatione collocatos esse in hanc stationem, ut praecipue doctrinam Euangelij discatis, et ut plurimi se ad ministerium praeparent. Qua in re uos grauissimae comminationes, et promissiones diuinae moueant, Christus inquit: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem prophetae accipiet, et, Si quis dederit alicui ex minimis istis potum aquae, tantum in nomine discipuli, Amen dico uobis, non perdet mercedem suam. Quare hi, qui benefaciunt ministris ecclesiarum, a Christo uicissim, expectent defensionem.

E ij

Principes scholas curare debent.

Praemia defensoribus propofita.

Lazarus ima-
go Ecclesie.

Et multa alia beneficia. Quanta immanitate odij Pontifices, Et multi Reges ac Principes, aduersus Euangelium exarserint, quoties iam bellum denunciarint nostris Principibus, quos Deus uocauit, ut tectum aliquod præbeant pijs doctoribus, nemini obscurum est. Inter hæc pericula tantum his me promissionibus sustento, quibus testatur sibi curæ esse, ne opprimantur, ne deleantur hi, qui student ornare ministerium Euangelij, qui pios doctores defendunt. Quàm pulchrè Christus pinxit nobis Ecclesie imaginem in Lazaro, qui egens Et laceratus ulceribus, iacet in uestibulo diuitis, à quo negligitur Et fame necatur? Sed tamen Deus testatur eum sibi curæ esse, cum Angelos ad ipsum mittit. Ita iacet Ecclesia in Regum Et Principum imperijs, Et non solum negligitur, sed etiam conculcatur, respicit tamen eam Deus, Et mittit aliquos Angelos ac Principes, à quibus defendatur, nec opprimi, aut deleamur eam sinit. Vidua Sareptana exceperat Heliam hospitio, cum annona esset arctissima, pro quo beneficio, Deus eam durissimo illo tempore benignè pauit. Ita sciant omnes, Deo gratum officium esse, iuxta uocationem, iuuare, Et ornare ministerium Euangelij. E contra uerò grauissimas pœnas daturi sunt tyranni atque impij, qui uel cõtemnunt,

Vidua Sarepta
riam propter He-
liam pascitur.

contemnunt, uel etiam oderunt, & opprimere ministros Euangelij conantur. Sicut in quarto Regum ait Dominus: *Vlciscar sanguinem seruorum meorum Prophetarum de manu Iefabel.* Non erit impunitus contemptus ministrorum Euangelij, dabunt aliquando poenas suae crudelitatis tyranni, qui grassantur in pios. Hanc admonitionem adolescentibus hoc tempore necessariam esse duxi. Quia uidemus multos impiorum exemplis corrumpi, & de ministerio Euangelij, ac studio sacrarum literarum irreuerenter sentire. Hoc oportet scire, se Deo precipue hunc cultum debere, ut ament & reuerentur ministerium Euangelij. Deinde etiam pietatem esse preparare ingentium, ut aliquando Ecclesiae possit esse usui. Quare officium suum discant adolescentibus, & intelligere, & facere. Precor autem Dominum nostrum Iesum Christum, ut omnium mentes inflamet Sancto Spiritu suo, ut Euangelium ipsius uere intelligamus, & ei obtempere-
mus, ut gloria dei nostris studijs semper illustretur atq; ornatur.

D I X I . . .

E iij Querela